



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 83. Bulla Pontificis de Festo Conceptionis B. V. M.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Secul. XV. a Sixto IV. summo Pontifice ad emendandum Paschalem Dionysii exigui cyclum Romam vocabatur. Vir erat in astronomia, ceterisque Matheos disciplinis longe versatissimus. Fuit quoque Georgii Burbachii natione Bavari quondam discipulus, & græca ac latina eloquentia, necnon Scriptorum notitia eruditissimus; quapropter, ut de eo testantur Auctores, a Matthia Hungaricæ Rege, civibusque Norimbergensibus perpetuo donatus est stipendio. Hic plurima posteritati reliquit ingenii sui monumenta.

§. LXXXIII.

Bulla Pontificis de Festo Conceptionis B. V. M.

Collect. Concil. 6. Labbe tom. 13. p. 1442.

Ut benignum numen memoratas pestilentiae, ac inundationis calamitates averteret, simulque cultus Beatissimæ Virginis in fidelium cordibus magis auferetur, Sixtus IV. summus Pontifex die prima Mensis Martii hoc Anno Romæ Constitutionem edidit, qua omnibus, qui Conceptionem Beatissimæ Virginis, quam in suo decreto immaculatam appellat, devote celebrarent, atque officium ejus ab ipso Sixto approbatum, &

vid. Petrum Gassendum, & Jo. Mollerum Rectorem Fiensb. qui illius vitam scripserunt.

& a binis sui Ordinis Religiosis Leonardo Sæcul. XV.
de Nogarolis, & Bernardino de Bultis A.C. 1476.
concinnatum recitarent, easdem concessit indulgentias, quæ ab Urbano IV. & Martino V. summis Pontificibus concessæ fuerant in Corporis Christi solemnitate. Ecclesia tamen Romana exiguo ex post tempore præfatum officium omitti atque illud de Nativitate Beatæ Virginis subrogari præcepit.

§. LXXXIV.

Primum Ecclesiæ Romanæ decretum de hac festivitate.

Ante Bullam Sixti IV. Conceptionis immaculatæ festivitas libero, atque arbitrario fidelium cultui relicta, nec ullo firmata erat decreto, quo hæc solemnitas vel Romæ vel in Italia aut in Francia publice fuisset celebrata, donec Anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono Concilium Basileense edita Constitutione hoc festum per universam Ecclesiam celebrari decrevisset. Cum vero Romæ hujus decreti nulla habita esset ratio, eoquod Eugenius IV. summus Pontifex Basileense Concilium tanquam schismaticum & illegitimum execraretur, summo jubilo præsens Sixti IV. Constitutio ab omnibus recepta fuit, estque de festo immaculatæ Conceptionis omnium prima

Richer. Conc. general. l. 3. c. 3. p. 140. & 146. Gavant. rubr. fest. part. 2. p. 139